



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XIV.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XIV.

7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τῆ πατρὸς μου ἀεισεύεσιν ἄρτων. ἔ- *Grata.*
 γὼ δὲ λιμῶ δειπνῶμεν.
7. Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abund- *Vulgata.*
 dant panibus, ego autem hic fame pereo.
7. Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui *Syriaca.*
 abundant pane, ego vero hic fame pereo.

ARGUMENTVM.

- Dicemus *hodie* {
1. Quod in omni actione plurimum valeat bona intentio.
 2. De quibus mercenariis ibi locutus sit Dominus.
 3. Qui mercenarij dici possint qui non; contra nonnullos calumniatores.

A V E.

I.

Quod in omni actione plurimum valeat bona intentio.



ARBITRABAR dilectissimi, totū me extricatum labyrintho in quem heri me conieceram; sed quantum video, varij sinus, flexus ac reflexus restāt antequā euadamus. *Grandis adhuc restat 3. Reg.*

via: cum enim de intētionē egerim ac respectu prāmij aeterni, creati ac increati, in bonis operibus: modo, cum omnis homo propter finem aliquem operetur, iuxta S. Thomā (*Sic curro nō quasi in incertum; sic pugno nō quasi aerem verberans*, inquit S. Paulus.) Ipsa etiam bruta, & omnis & irrationabilis & insensibilis creatura, quæcunque tandem sit, quamuis diuersimode: homines enim ad actionem se libere applicant, ex arbitrij libertate: bestię & insensibilia naturaliter, impulsu quodam & instinctu naturæ, quo à Deo aguntur

D. Thom. in li. 2. sent. dist. 38. & 1. 2. quest. 1. art. 1. & 2. 1. Cor. 9.

tur

tur (nam nihil turpius Physico quã fieri sine causa quicquam dicere, inquit Cicero) nec quisquam nostrum est, qui videns bruta turbari ac prouere, non intelligat quo motus ille vergat; *Id ne fera quidem faciam, ut ita ruant atq; turbentur, ut earum motus & impetus qui pertineant non intelligamus; tu tam egregios viros ceptas res gessisse sine causa?* Nec cessario hic mihi dicendus est meo labyrintho, ut monstrum quanti momenti sit, à fine ac scopo actionū aberrare, vel non aberrare, & quis primarius ac necessarius nostrarum actionum scopus esse debeat, quos etiam laudabiliter nobis proponamus, quos per indulgentiam. Incipiamus igitur cum Dei gratia.

Si cum hominib. nobis tantum res esset, & quatio in curia aliqua humana & (ut loquuntur Theologi) in foro fori tractaretur, dicerem breuiter non tantopere esse opus intentionem bene dirigere, ac scopos proponere laudabiles in operibus. Nec mirum; sufficeret enim facere opera ex natura sua bona, & ab omni specie mali abstinere: quia homines opera tantum inspicunt, non intentiones. Si enim apud homines mala intentione (secreta tamen) bonum agas, non ideo minus eris laudatus, non minus mereberis; quia actionem nõ cor & animam vident. Si mali quid feceris manifesti, (bona tamen intentione) non te turabitur vel multum vel parum bona intentio, nec eximet à toto nec à tanto. *Homo videt ea que parent.*

Publ. Mim.] *Nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est. Nam facta cernuntur, animus non videtur.* Sic nimirū & ego tum dicere possem. Sed quandoquidem cum Deo nobis res est, & in foro conscientie, cum Deo qui scrutatur corda & renes, qui nõ tantum opera ex natura sua bona esse facienda, sed hoc etiam curandum ut intentio in illis sit recta.

Heb. 4.] *Sermo Dei est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Non est creatura inuisibilis in conspectu eius.*

Psal.] *Intellexisti cogitationes meas de longe. Semitans meam.*

neam & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias
neas prauidisti.

Adiigit à fine vsq; ad finem fortiter, i. à primis inten-
tionibus ad secundas.

Deus acutius videt quam aquilæ prædam in fundo
maris, acutius quàm lynces per septem parietes, melius
quam Lynceus iste argonauta, qui oculis muros pe-
netrabat, & distincte ad centum & 30. passuum millia
prospiciebat, melius Argo centoculari, melius Sole,
qui omnia aspicit, qui mille ciuitates simul vno instā-
tilu strā. Deus, inquam nō solum opera, sed & cordiū
secreta ac recessus perlustrat, oculo suo solida corpo-
ra penetra, non minus quam transparentia, terrestria,
non minus quam cælestia composita, non minus quā
simplicia: omnia pellucida, omnia detecta, omnia nu-
da & aperta sunt oculis eius (quid faciemus igitur citati
& constituti ante tribunal eius) examinat scrupulose
nostras intentiones, quo scopo, quo fine bonum ma-
lumve egerimus, & qualem inuenit intentionem tale
esse opus iudicat, nō quale sæpe videtur ex natura sua.
S. Augustinus in Iohannē dicit, attendite fratres mei
salutis nostræ bonum non tam in operibus quā faci-
mus consistere, quam in eo pro quo facimus.

D. Gregor.] Deus cor & non substantiam pensat, nec
cogitat quantum sed ex quanto operatur.

Seneca Ep. 96.] Non in facto laus est, sed in eo quem-
admodum fiat.

Ibidem.] Eadem aut turpia sunt, aut honesta. Refert
quare & quemadmodum fiat.

Sic plane radix fructum bonum facit aut inficit,
fructum dans pro succo quem habet dulcem aut ama-
ram. Non potest arbor mala fructus bonos facere; si radix
sancta & rami sancti. Et sicut necessario eiusdem sapo-
ris sunt riuuli cuius fontes, sic & nostra opera talia
sunt, quales nostræ intentiones. Et sicut Chamæleon,
induit statim colores quibus adhærescit.

(Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura,
Protinus assimilatur et igitur quoscunque colores.

Quid. lib. 15. Metam.)

Talem

Matth. 7.

Rom. II.

Vide Plu-
tarch. lib. de
indust. ani-
malium.

Solinum c.
57.
A. Gellium
li. 10. noct.
ca. 11. Arist.
lib. 2. ca. 11.
hist. anim.
Senec. lib. 1.
44. nat.
D. Ambros.
lib. 4. in 4.
Luca.
* (in) super-
fluere vide-
tur.

Talem notam & tesseram statim nostra accipiunt opera, qualis fuerit intentio ex qua procedunt, si hæc bona, bona; si hæc mala, mala. Mercenarios & auaros appellamus quibus oculus semper & primo in lucis, ambitiosos quibus oculos ad honores & dignitates. (Sunt enim qui prius seruiunt, ut postea imperent: non S. Ambrosius ait. *Ambitio ut dominetur aliis, prius seruit, curuatur obsequio, ut honore donetur.*) In puatcol qui semper ad voluptatem & carnis desideria. Intentio est in nostris operibus, quod inscriptio in libris.

D. Gregor. lib. 12. moral.] *Quod radix est arbori, hoc unicuique hominum sua est cogitatio: quia* in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod interius non videtur.*

D. Ambros.] *Intentio tua operi tuo nomen imponit.*

D. Bernard. de præc. & dispens.] *Bonum profusum demnat intentio praua.*

Scholastici tenent, humanos actus à fine speciem suam accipere iuxta illud Augustini de Eccles. morib. secundum quod finis est laudabilis vel culpabilis, opera nostra sunt laudabilia vel culpabilia.

Sufficit mali finis circumstantia, quo actus sit malus.

D. Chrysostr. tract. de symbolo.] *Opus non ex se, sed ex causa sua fit crimen.*

D. Gregor. moral.] *Sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur, ita nostra vita in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.*

Seneca Ep. 96.] *Qualis persuasio fuerit, talia erunt qua agentur, qua cogitantur.*

Boet. Top.] *Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est. Vniuersum verum.*

Anonymus.] *Quicquid agant homines, intentio iudicat omnes.*

In ipsa etiam administratione Sacramentorum Iesu Christi necessaria est Ministri intentio, conferentis materiam ac formam Sacramenti; nam etiam si hæc duo millies conferantur si absit intentio, nunquam erit Sacramentum: quia hæc ad multas indeterminata sunt res, quæ ministri intentio ad vnum restringit, sicut in-

intentio, non sola verborum prolatio iuramentum
 acit validum, vt dicebat Cydippe puella nobilis, ama-
 ori suo Acontio, qui aureum malum in Dianæ tem-
 plum ad pedes eius miserat, sic inscriptum: *Polliceor si-
 bi meum matrimonium.*

Iuro tibi sane per mystica sacra Diana

Me tibi venturam comitem, sponsamq; futuram.

Sperans eam permouere isto stratagemate, quia lex
 implerat vt quicquid coram Diis diceretur, quod lo-
 cum etiam habebat in templo Dianæ, pro te habeba-
 tu iurata firmaque. Iuramentum autem ore proferre,
 sine iurandi animo, nec iuramentum est, nec obligat.

Quid. lib. Ep. Heroi. ex Cydippes Acontio.

Quæ iurat mens est: nil coniurauimus: illa

illa fidem dictis addere sola potest

Consilium, prudensq; animi sententia iurat,

Et nisi iudicij, vincula nulla valent.

Si tibi coniugium volui promittere nostrum,

Exige polliciti debita iura thori.

Sed si nil dedimus, præter sine pectore vocem,

Verba suis frustra viribus orba tenes.

Non ego iuravi lege iurantia verba, & paulo post:

Si valet hoc, magnas diuitis aufer opes.

Fac iurent Reges, sua se tibi regna daturos,

Sitq; tuum toto quicquid in orbe placet.

Simile huic fuit, quod quidam se ab homine auaro in-
 uitatum ad prandium dixit, & adijt; quod auarus in obla-
 ta sibi ab illo charta sic inscripta legisset; *Frater Petre ve-
 na pransum.* Intèrio est quæ actus nostros alios & alios
 facit; actus enim distinguuntur secundum obiecta & fines.
 Vt quis sartor sit aut sutor, sarcire non sufficit (vtriq; e-
 nim hi opifices sarciant) & in eadem materia; sed vt
 quis sartor dicatur aut sartoriam exerceat, oportet
 facientis esse finem, facere vestimentum; vt sutor sit,
 facientis finem aut terminum calceum, crepidam, vel
 soleam, aut ocream: quia hi horum artificiorum scopi
 sunt. Sic vt actio aliqua dicatur virtuosa, aut in tali aut
 tali virtutis genere, non sufficit ex natura sua esse bo-
 nam, aut esse in tali aut tali specie (vt si dicamus a-
 ctum

ctum constantiæ, misericordiæ, ac aliarum virtutum) sed oportet scopum esse bonum, & actum agēis tendere ad talem finem. Exempli gratia qui vult bene facere, inquit Adrianus, Deo placere, iuste iudicare, liberalis, fortis, magnanimus, temperans esse, quæ omnia ex natura sua bona sunt, & singula ad virtutis aliquam classem & ordinē reducuntur; si omnia hæc ad gloriam ad sanitatem facias, siue consideres tanquam totalem aut partialem finē, actus nec iustitiæ est, nec liberalitatis, nec magnanimitatis, sed malus: & secundum receptum Aristotelis dictum, qui certaret quā fieri potest fortissime, si tamen id pro honore, aut gloria, aut infamia faceret, nō ideo fortis diceretur; sed solū probus, & secundū S. Augustini dictum citatū à magistro sententiatum, & S. Thoma, aliisque, qui concionantur ut vivat ac se alat, non tantum non meretur, sed etiam peccat. Et iuxta Caietanum, qui dat eleemosynam ut lauderetur, peccat saltem venialiter: & Gratianus ante hos omnes, quidam propter verecundiam & donum perdit & meritum. Nec facit bene, qui bene facit ex timore. Et ego dicerem cum Aristotele, qui eleemosynā dat, intendens alium corrumpere, & pervenire ad adulterium, non tantum bonum non facit, sed adulter potius dicendus quam beneficus.

Hoc est quod dicere volūt nōnulli Theologi, Christianos non salvari per verba, sed per adverbia, i. ieiunare solum, orare, eleemosynas facere, concionari, hoc aut illud bonū facere, salutē non adfert, sed bene orare, bene ieiunare, & sic de cæteris. Duplici Helix spiritali opus est; duabus vaccis ad portandā Arcam, duobus pullis ad sacrificiū, bono opere, bona intētionē. Sicut enim mala quædam bono fine, & bona quædam malo fine dicuntur, ut inquit S. Gregorius, sic etiam sæpe mala bono fine, & bona malo fine fiunt, & bona generaliter omnia corrumpuntur, & censentur mala quando diriguntur ad malum. Absolon non rem de se bonam fecit, peregrinationem suscipiens in Hebron, quis dubitat? quia illuc se contulit, ut sub tali pretextu facilius patri eriperet coronā, non tam peregrinatio

Adrian.
quodlib. 9.
1.

Arist. 3. E.
thic.

Mag. 2. *dist.*
38. *D. Thō.*
quodlib. 2.
act. 2.
Caiet. in
Matth. 6. 7.
pag. 2.

Greg. 23.
mor. cap. 7.

ginatio fuit, quam ambitus & affectatum imperium.
 Si Herodes Rex cum tribus ab Oriente Regibus iuif-
 fec in Bethleem adoratum nouerit natum Iudæorum
 Regem, vt dicebat (*vt ego veniens ad eum*) non- *Matth. 2.*
 ne opus fecisset bonū? Ino sane. Sed si vt postea ipsum
 in loco obruncaret (vt prætendebat) hoc in e iter ap-
 pellares sanctum? hanc adorationem actum religionis,
 & non potius infidias, prodicionem, ac sicariatum?
Cuius finis malus est, ipsum quoq; malum est.

Beata Virgo proculdubio multies osculata est fi-
 lium suum parvulū, *osculatur me osculo oris sui.* Magda-
 lena eius pedes, Iudas os, Simou leprosus reprobū dicitur
 quod Dominum osculatus non sit. *Osculū mihi nō de-
 disti.* Beata Virgo merebatur, Magdalena viciā obli-
 uit certā, ac internam gratiā, Iudas inde suam cepit
 damnationem. Quare? quia beata Virgo osculabatur
 filiū amore casto, Magdalena affectu religioso, Iudas
 prodēdi studio, *cuius finis bonus est, ipsum quoq; bonum
 est; cuius finis malus est ipsum quoq; malum est.* Medicus
 fecat, vrit, latro pungit, mutilat, argentum do medico
 pro mercede, argentum do carnifici vt laqueum emat
 latroni. Vnde hoc? quia rigor in me medici ab amore
 sanitatis, rigor latronis ex cupiditate spoliandi profi-
 ciscitur. *Cuius finis malus est, ipsum quoq; malū est.* Pius
 lapidē à terra tollit, vt ad ædificium templi conferat; i-
 ratus idē facit, sed vt proximū feriat: pius meretur, al-
 ter demeretur, solam etiā leuans, vterq; propter inten-
 tionem. Abraham & Sara vterq; risit, cum in senectute
 ab Angelo sibi promitti audiuerūt filium. Sed risus A-
 braham probatur à Deo, quia credebat promisso: ri- *Gen. 15. 6.*
 sus Saræ damnatur, quia erat irrisio. Gladium porro, *21.*
 portat & latro; peccat ipse, nō ego: habeo enim ad de-
 fensionem meā, quam lex, natura, & Deus permittūt.
 Latro habet ad offensam alienam, quam lex, natura,
 & Deus prohibent. Ouid. lib. 2. Trist.

Et latro, & cautus præcingitur ense viator:

Ille sed insidias hic sibi portat opem.

Intērio sicarij ferre gladium (rem ex se alias indif-
 ferentem) peccatum facit mortale. Intentio peregrinantis,

Q 2 nantis,

nantis, & cura sui bene ordinata, cū moderamine inculpatæ tutelæ, ipsum facit inculpabilem; imo vt increatur. Exiguus scorpionis ictus, totum hominem inficit, exiguus aculeus crabronis vrit, modicum fermentum totam massam corrumpit, modicum acetum dolium integrum optimi vini. Mala intentio adeo maligna est & energetica, vt totum alteret ac inficiat bonum opus, & indifferentia faciat mala. Quid non facit igitur in operibus iam malis & vitiosis? Quanto illa faciet deteriora? quomodo ex muscis faciet Elephantes, quomodo montes ex parua gleba? *Si in viridi ligno, in arido quid fiet? si lumen quod in te est, tenebrae sunt, ipsa tenebrae quanta erunt.*

Matth. 6.

Error, aut infirmitas, in simplici inobedientia, aut potius obediendi negligentia, si accedat intentio ac voluntas non obediendi, crimen fiet pertinaciæ, contumaciæ, & simile peccato ariolandi. Nonne hoc in facto Saulis patuit? qui contra Dei mandatum pepercit Amalec, & bestias seruauerat in sacrificio.

D. Bernard. lib. de præcept. & dispensat.] *Elatio contemnentis, atq; impœnitentis obstinatio, in minimis quoq; mandatis culpam facit non minimam: & conuertit in crimen grauius rebellionis, nemini satis leuem simplicis transgressionis. Non est enim id ipsum, nolle obedire. Hoc quippe interdum erroris est; non nunquam & infirmitatis: Illud vero aut odiosa pertinacia, aut contumacia nõ ferenda.*

Ibid.] *Non qualiscunq; mandati præteritio, criminalem facit inobedientiam; sed repugnare, sed nolle obedire.*

O quantum refert, qua intentione quid fiat aut nõ fiat? Ipse etiam Diabolus parum curat quid boni vel mali faciamus, dummodo hoc habeat, vt bonum faciamus intentione mala, aut præpostera, aut parua cum magno feruore & intentione faciamus peccata.

Nam vt inquit Gregor. in moral.] *Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secure possidetur, quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspiciat quam veneni dente in radice vitiauit.*

Diabolo enim in hac re sufficit, quod sibi seruiatur, etiam si

etiam si hoc directa seruiendi opinione non fiat.

Nōne hoc tam serio alias Dominus noster docuit:
*lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit
simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus
tuus nequam fuerit; totum corpus tuum tenebrosum erit.*

Pharus, specula, clauus actionum uestrarum, ocu-
lus, cor, intentio sunt. Si oculus solum Deum intue-
tur, omnia sana, omnia salua. Si oculus, aut intentio
declinat, vana perditaque omnia. Oculus in plerisque
rebus satis garrulus est, & sæpe corporis & animi con-
stitutionem, gaudia, amores, sanitatem, morbos e-
nuntiat. Vnde & apud nos prouerbum, hominem be-
ne dispositum, bonum habere pedem, bonumque ad-
spectum. Quo & hoc spectat, quod porcorum mor-
bos ex oculis, ac lingua discamus: sic etiam sæpe sani-
tatem ac vitia operum nostrorum indicat oculus, in-
tentio, siue respectus. Die quodam S. Bonauentura,
aut alius aliquis sanctus, vt aiunt, assidens mensæ, rigi-
de obtuebatur, fixoque oculo Principem fœminam,
presente marito: oculus eius erat simplex, intentio
bona; cum enim maritus nō zelotypus, nec mali quic-
quam cogitans, sed admirans rogasset, *quid ita obsti-
pus intenderet in vultum fœminæ?* respondit *se admirari
creatorem, atque ita secum argumentari: si creatura tā
rara, tam pulchra, tam insigni sunt specie, Creatorem cer-
te infinito oportet esse pulcriorem; & si in miserabili hac la-
chrymarum valle mortales tot donibus ormentur, post re-
surrectionem in celis quanto magis resplendent?* S. Bo-
nauentura, aut quicumque fuerit, *Expleri mentem ne-
quit ardescit q̄ tuendo.* Bona tamen intentione, surgen-
do inde altius, in amorem Dei. Et opinor S. Patrem
tantum ea re meritum, quantum alius quidam Abbas,
nomine Prior, qui propter Deum plane faciebat op-
positum: nec aspicere quidem voluit sororem pro-
puam, viduam, & infirmam, sed clausis spectandum ei
se exhibuit oculis. Paris Troianus nihil prope amplius
fecit quam S. Bonauentura, in mensa Menelai, coram
Helena. Vnde ipsa sic ei scribit.

Quid. Ep. Helenæ ad Pa idem.

Q 3 Illa

Virg. I. Æn.

Pallad. hist.

87.

*Illam quoque appositam qua nunc facis improbe mensa
(Quamuis experiar dissimulare) noto.*

Tu modo me spectas oculis lascive proterui,

Quos vix instantes lumina nostra ferunt.

Sed ipse perpetuam inde reportauit ignominiam, totus simul & anima adulterans & totum iter infamam. Quare hoc: nisi propter oculi & intentionis nequitiam. Raptum enim intēdebat, & adulterium. Intētio enim totum facit. Vnde Dominus noster non appellat moechos qui respiciunt in sceminam, sed qui *ad concupiscendum*; aut quando tales obtutus, quos honestos fore speraueras, in malum declinant. Nam *ad concupiscendum*, i. vt concupiteas, vel donec concupiscas. *Qui vidit mulierem, ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo.* Nec omnem iubemur proicere oculum, sed eum qui te scandalizat: non omnis affectus prauus, sed qui malum intendit, aut ad malum tendit. *Si oculus tuus scandalizat, et te, erue eum, & proice ab te.*

Omitto quod Lupus quidam Episcopus Zenonum, in publico sine scandalo, deosculatus sit filiam patris decessoris sui, quam non minus caste quam tenere amabat. Item quod S. Abraham Eremita, de solitudine exiuerit prope vt apostata, habitu amatorio; vt neptem sequeretur ac retraheret fugitiuam. Exempla tamen magis admiranda quam imitanda, quae melius auribus istis quam ferreis nostris conueniebant seculis.

Imo sane, dilectissimi, recta intentio apud Deum & homines tantum valet, vt si totum opus iustificare non possit, multum tamen excuset: *si non à toto, saltem à tanto.* & multo minor culpa fit in eo qui bonum diligit & malum nescius agit, inquit S. Bernardus. Nonne verisimile aliquo modo excusabile fuisse Loth quod filias suas Sodomitibus furentibus prostituere voluerit, cum pia esset intentio, maius flagitium impedire volens, fornicatione liberare hospites Angelos in humana specie, tradens filiarum mortalia corpora. Et Iacob cubans cum Lia, intendens cum sponsa Rachel consummare matrimoniū, bonum diligebat, malū nescius agebat. Certe pro facto Loth, notanda est S. August. sententia

*S. Bern. de
precept. &
d. sp.
Genes. 19.*

D. August. in quodam serm.] *Desinunt esse peccata. * Mel. forte*
*que propter grauiora vitanda, suscipimus. * Sicut enim in (Sic enim)*
rebus utilibus, non vocatur damnum, quod propter
maius lucrum admittitur, ne grauius admittatur.

Bene etiam notandum, vt efficacia intentionis tam
 in bonum quam in malum intelligatur, quod respi-
 ciamus saepe magis ad intentionem, quam ad euen-
 tum. Exemplum Ioseph venditus a fratribus in Ægy-
 pto, vice rex factus est; non tamen ideo bene de illo
 merebantur fratres: quia non promouere, sed oppri-
 mere ipsum intenderant. Christus Iesus per mortem
 in cruce nomen acquisiuit quod est super omne no-
 men, quod caput sit totius Ecclesiae, quod salutem per
 eum consequamur, nisi defectus sit in nobis: interim
 gratiam nec ipse nec nos Iudæis debet, qui eum eme-
 runt, nec Iudæ qui vendidit & tradidit, nec Pilato
 qui crucifixit, nec Diabolo qui hos omnes instigauit.
 Nihil enim minus quam exaltationem aut gloriam
 Christi, aut redemptionem nostram intenderunt,
 sed tantum sanguinem perdere innocentem. *Filius Matth. 26.*
quidem hominis vadit. sicut scriptum est de illo: va au-
tem homini illi, per quem filius hominis traditur.

Tyranni & hæretici semper Ecclesiae incrementum
 caularunt, tam in numero, quam in pietate, & scien-
 tia, fecerunt vt refloresceret (eius enim naturæ est) vt
 percussa fiat fecundior, quod de nucibus aiunt, ac
 pressa instar palmæ resistat fortior. *Fluminis impetus*
latisfat ciuitatem Dei. Virescit vulnere virtus. Hæreti-
ci nostri temporis quomodo litteras susceperunt, quo-
modo promouerunt reformationem. Ecce us ille fuit
opetis, non finis operantium: qui nihil nisi ruinam
quæsiuerunt, ac ideo nullam ipsis debemus gratiam
quod ea sic euenierint; sed ipsi debent nobis poenam
sceleratæ suæ intentionis.

Non quid fecerint sed quid voluerint, quo spectarint,
Dominus videbit. Cor eorum non erat rectum cum eo.

D. August. tractans illud Matthæi 6. si lumen quod
 in te est, &c.] *Quod nõ bona intentione facis, nõ tibi prode-*
rit, quia, quomodo feceris, non quomodo illi euenierit, tibi
imputabitur.

Q 4 D. Ber-

D. Bernard. de præcept. & dispensat.] *Is oculorum quam est, qui peruersus pariter & cæcus bonum agi. & malum credit.*

Pub. Mimus.] *Nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est. Nam facta cernuntur, animus non videtur.*

Idem est cum quis vacas rei licite, volens & cogita prodesse, nocet atque officit. Nō opinor enim Deum probosque viros tam euenta pensare, quam consilia.

Ouid. 2. Epist.

— careat successibus opto,

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

D. Chrysostr. tract. de symbolo.] *Opus non esse, sed ex causa fit crimen.*

Quot Medicos videmus, dum iuuare volunt, nocere? Quot Duces regnum perdere quod seruare studebant? Quot Nauarchos, quot Aurigas, nauum curumque & merces euertere, dum temoni & gubernaculis aduigilant. Sed quis vnquam ea de causa aut Medicos, aut Duces, aut Nauarchos vidit ad mortem pe-

Philo Iud. xi. *Qui præter animi sui sententiam laedi reus non est patratifacitoris,* ait Philo. Multum saltem videntur extione Abrahami in fine. *culabiles, ac maledici in nostra Hannonia: Nullum haberi infortunium, ac omnia infortunia aequaliter puniri tanquam voluntaria; contra legem Mosi quæ in tali casu dabat ciuitates refugij.*

D. Bernardus de præc. & dispensat.] *Non penitus excusat intentio recta.*

Quare, dilectissimi, ante omnia obsecro vt rectam & sanctam studeamus habere intentionem, ac præcedere quantum possibile, quicquid ad dextram vel sinistram abducit: semper intenti in Deum, in honorem ipsius. Ille vester scopus sit, aut solus aut principalis, vt monet in Canticis *Per me vt signaculum super cor tuum.* In me tanquam in scopo omnia vestra opera collimate, ego vobis statera sim, qua omnia vestra trutinatis: me æquam bilancis linguulam semper attendite. Ego vobis Pharus sim, ego cynosura nauigantium, ego Sol quo tanquam Heliotropij florem vestrum semper obuertatis: me respicite vt Argus suam

suam Io. *Constiterat quocumq; loco, spectabat ad Io
Ante oculos Io, quamuis, aduersus, habebat.*

Ouid. lib. 1.
Metam.

D. Gregorius lib. moral.] *Summa cura vigilandum
est, ne vel bonis operibus seruans mens reproba intentione
polluatur.*

Deus semper sit oculus tuus, principale intentum,
vt dicere possis cum Dauid, *Oculi mei semper ad Domi- Psal. 17.
num. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper sic
ut oculi ancilla in manibus domina sua; ita oculi nostri ad
Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.*

Semper respicias in manus eius, non solum vt pau-
per in diuitem, vt claudus ille in S. Petrum & Iohan-
nem; sed vt fideles magistri, ad nutus, ad signa, ad indi-
cia dominorum, vt statim præsto sint; non secus ac a-
mator in amica suæ motum omnem accurrit, vt ei
complaceat. *Cuiusmodi homines vere Placentinos, &
Laudenses appellaris.*

Quicquid dicas, quicquid incipias, quicquid fa-
cias, omnia ad Dei honorem, ad maiorem Dei gloriam,
sicut sæpe dicunt Patres Iesuitæ. *Dico ego opera mea Re- Psal. 44.
gi: Dico, pro dedico, Nauarri sensu.*

*Omnia, quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia Coloss. 3.
in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.*

*Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da glo- Psal.
riam.*

Quoniam gloria virtutis eorum, tu es.

Hac illa intentio est quam in S. Petro petebat Do-
minus, committens illi curam gregis. *Petre amas me,*
nec prius ipsum inuestiuit summum Pontificem, per
ista verba *Pasce oues meas*, nisi primum protestatus es-
set Petrus amorem suum. Voluit bonus Dominus vt
S. Petrus recta in Deum intenderet, nihil obliquum
quasi luscus respectaret, qui alio vultum alio oculum
deflectunt. Voluit vt gregem quæreret, non lanam,
non quæstum, non honorem, non dignitatem; sed
Deum solum: idque actu ab ipso requisitum, tanquam
in noui status susceptione; qui speculum & perfectio-
nis exemplum fieri debebat aliis, noluit vt terrena-
rum rerum consideratione, cælum quæreret.

Q 5 Notan-

*Nauar.com
ment. de fi-
rib. hum.
act. pag. 38.
edit. Venet.
128.*

*D. Thom.
1. 2. q. 8. art.
3.*

*D. Thom. in
2. sent. dist.
40. q. 1. art.
4. Et Maior
dist. 17 q. 2.
Ca. et. sup.
Matth. c. 6.
Luc. Almain
Moral. c. 12.*

Notandum hic ad solatium pusillanimum, ac fetu-
puloforum: quod quamuis actualis intentio in Deum
vtilissima sit, non tamen ita nos ad eam obligari vi-
tutes peccemus, quoties omittimus: iniqui enim est
credere omnia nostra opera esse peccata, quae in Deo
tanquam vltimum ipsorum finem actu non referimus.
Sciendum etiam quod multi opera sua ignoranter in
Deum referunt, quae referre se non putant: & multi re-
ferre se putant, qui reuera non faciunt. Quod ut intel-
ligatur notandum: Quod relatio operum nostrorum
in Deum, & aliorum mediorem in finem, aliquando
vno, aliquando pluribus fiat actibus. Vno actu quando
vna voluntate finem volumus, & media ad eum finem
ordinata, iuxta S. Thomam. Et multum differt velle
hoc aut isto modo, vno aut pluribus actibus. Quod
enim finis bonus est, media mala; aut contra finis ma-
lus, media bona; cum ista vno solum actu volumus to-
tus actus malus est. Simul enim bonus & malus esse
non potest, ne quidem diuerso respectu, iuxta communem
& S. Thomae opinionem. Sed si quis seorsim orare vel-
lit, vel ieiunare, ac dein separatim secunda voluntate
vanam inde quaerat gloriam; Primus actus potest esse
bonus, et si malus posterior. Sciendum etiam relatio-
nem in finem duplicem esse: actualem, seu formalem,
& expressam; ut cum vno aut pluribus actibus media
actualiter referuntur in finem. Alteram virtualementer
(licet huc mihi Scholarum terminos quasi rapis tor-
quere capillis) tacitam & aequipollentem, quae non
minus valeat quam expressa. Quam simpliciter defi-
nire possumus quod sit relatio pullulans, surgensque
tacite, ex eo quod inclusa & comprehensa sit in ali-
qua generali, & actuali, quam quis praehabuerit: aut
quae sequitur ad aliam aliquam specialem & actualem
intentionem, Vel inde procedens quod talis actus di-
rigibilis sit ad talem vel talem finem, concurrente cum
eo gratia habituali, quae ad talem finem inclinat. Ex-
emplum prioris membri. Appellare possumus, & reuera
est relatio tacita & implicita, quae nascitur ex eo quod
quis bona opera faciat, postquam aliquoties generatim
dedi-

dedicavit & retulit omnia totius vitæ bona opera ad
 amorē & obsequiū Dei; vt cum professionem fecit, vel
 Christianismi in baptismo, vel religionis, vel alterius
 status honesti & salutaris, quādo illā postea cōtraria in
 tentione nō violauit. Exēplum posterioris. Talis est re-
 latio milliariū & passuum peregrinantis, (sine actuali
 vlla de Deo cogitatione) qui ad S. Iacobū in Gallitiā
 proficiscitur, quæ surgit & sequitur ex eo quod semel
 vouerit visitare corpus istius Sancti. Exēplum tertij est
 relatio bonorum operū (sine actuali Dei recordatio-
 ne) quæ facit qui est in statu gratiæ & charitatis; quæ
 inde oritur quod talia opera apta sint referri in finem
 vitiū, qui Deus est, & quia à tali fiunt qui est in statu
 gratiæ, quæ ad talem relationē inclinat. Breuius (iuxta
 S. Bonauenturā, & post eum Gabrielē Biel) virtualem
 intentionē, quæ actuali æquiualeat, dicere possumus
 esse quando quis interrogatus vtrum rem istam tacite
 faciens sentiat istam intentionē, vere affirmare potest
 quod sentiat. Ex quib. omnib. apparet quem fructum
 habeat status gratiæ: fructum certe quē bene debemus
 inculcare, vos autem fidelissime retinere tanquā sym-
 bolum vestrum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur*
in bonum. Sequitur etiam inde optime nos facturos si
 Deo dicamus ex toto corde, Domine, volo, nolo, di-
 co, facio, multa quæ ex se & propter se amabilia non
 sunt; nec tamen ex se mala, nihil actu de maiestate tua
 cogitās, nec de beatitudine, nec de aliqua virtute, quæ
 posset esse debitus eorū scopus. Quare imitatus tuum
 Psalmistam, dedico ac cōsecro tibi & illas & omnes a-
 ctiones meas, & meipsum quantum sum. Tibi Rex ac
 Domine Deus meus. *Dico ego me & opera mea Regi,* ac
 protestor de præsentī quod omnia ista velim vt tibi
 placeam (tibi inquam qui summum bonum, & super
 omnia amabilis es) Vt te venerer, qui præ omnibus es
 venerabilis: vt tandem perfecta tui visione exultem,
 qui dulcis es super omnia, vt omnes meæ cogitatio-
 nes, voluntates, dicta, facta, restricta & relata
 saltem virtualiter, ad hunc scopum rectæ fiant, ho-
 nestæ, ac ad tui cedant amorem. Quid, inquiet
 aliquis,

Rom. 8.

Psal. 44.

aliquis, ergo ne nullum alium dictorum factorumque licet habere scopum, quam Deum & In nullum alium, tanquam finem extremum. In ipsum enim iuxta Philosophos omnia referri debent, ipse in aliud nihil.

Cic. lib. 1. de finib. bon. & malorum.] *Extremum est ultimum bonorum, omnium Philosophorum sententia tale esse debet, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.*

Idem ibidem.] *Finis extremum, ultimum est quo sunt omnia bene viuendi, recteque, faciendi consilia referenda.*

Idem.] *Id est, vel summum bonorum, vel ultimum. Quod Græci τέλος nominant, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes. Nihilominus tamen secundarium aliquem finem constituere ac intendere licet; dummodo idem secundarius finis, in uersalem finem omnium dirigatur, qui Deus est.*

D. Amb. lib. 1. de Offic. Constituire possumus virtutes morales omnes, & earum quamlibet, & quicquid honestum est, iuxta S. Thomam. p. Ambrosium, & S. Thomam, pro nostro fine, & multa propter eum facere. Scientias etiam speculatiuas, secundum Aristotelem, & secundum S. Thomam: bona etiam quædam delectabilia, cuius classes sunt vita, sa-

D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 6. nitas, iuxta Boetium; quæ propter se bene appeti possunt, ac multo labore ac arte conseruari, restaurari de-

Boet. lib. 2. profa 2. de Consol. bilitata. Vtilia autem bona ut pecunia, thesauri, hereditates, triumphus, honores, fama, gloria, propter se amanda non sunt, sed propter alia sublimiora: & qui principaliter pro pecunia, aut pro honore, qui autem pretiosior est, actum faceret virtutis, malefaceret: si non actualiter, aut virtualiter in Deum referat, aut beatitudinem, aut virtutem aliquam convenientem, generalem aut specialem, iuxta regulam exceptione carentem. Cuius finis malus, ipsum quoque malum.

Boet in Top. citatus à D. Thoma 1. 2. qu. 18. art. 4. Quando enim finis mediis non est dignior, ineptitur dum dignius ordinatur ad indignius, & consequenter peccatur.

Nemo ignorat virtutis & animæ bonæ, bonis utilibus præstare, atque ideo delictum est hæc illorum constituere finem, & virtutes exercere principaliter pro bono

bono vtili, quod Philosophi Pagani appellare cōsue-
uerant bonum fortunæ. *Summa summarum*, Plurimi
intereſt ac ſtudioſe curandum, vt bonum nobis præfi-
gamus finem, in quem opera noſtra tanquã ſagittas
collimemus; non multas habere ſecũdarias intentio-
nes, non multum reſpectare retro miſſa ad aratrum
manu, ne pœti appareamus ac luſci, qui reſpiciũt ver-
ſus Picardiam quando Boulonia ardet; ne ſimus ſicut
lutæ, amphibij in terra viuentes & aqua, partim in-
tuentes cœlum, partim terram. *Labia dolosa in corde, &
corde locuti ſunt.* Perſuadentes nobis quod in cœlum
tantum figamus obtutum, negligentem terram; cum
iuste de nobis dici poſſit *O curua in terras anima, &
celestium inanes.* Vide partẽ i.
harum Cõt.

Ac reuera ideo inter omnia animantia ſolum ho-
minem arbitror creatum rectum, vt ſemper in Deum
ac cœlum tenderet: ideoque à Græcis hominem *ὀ-
ρθῶς* dici, id eſt, *ſurſum tendentem*, & quis nouit an
non inter alia idcirco etiam tot pſalmi inſcribantur
in finem, vt initio orationum ac precum ſuggeratur
nobis finis bonus, bonaque intentio. Quidni? Nam
melior eſt finis orationis quam principium, & bona in-
tentio in oratione optima eſt. *Finis legis Chriſtus, finis
precepti eſt charitas.* Ergo proponamus oportet finem
ſummum bonum ad quem nitamur, ad quem omne
opus noſtrum, dictumque reſpiciat, vt nauiganribus
ad aliquod ſyduſ dirigendus eſt curſus. *Vita ſine propo-
ſito vaga eſt.* Seneca Ep. 96.

Eccleſ. 7.
Rom. 10.
1. Timoth. 2.

II.

De quibus mercenariis ibi locutus ſit Dominus.

ſEd philoſophatum ſatis; forte etiam nimium de fi-
ne iſto philoſophico, & intentione noſtrarum a-
ctionum: videamus de quibus Dominus loquatur ſub
mercenariorum nomine, vbi ruruſ non leuis ſurgit
difficultas. Quia tam allegorice, ac moraliter, quam
literaliter, alij per mercenarios, alij per filios ſignifi-
cantur. Dicere enim per mercenarios Scribas ſignifi-
cari & Pharifæos, obtreçtatores Chriſti Ieſu, non vi-
detur

detur æquum. Vbi enim inueniremus filium qui indignatus Prodigum à Patre tam benigne recipi, recu-
 uit ingredi tectum. Dicendum foret etiam eundem ho-
 minem iam mercenariū iam filium esse, vt duas qual-
 in theatro sustineat personas, filij scilicet & mercena-
 rij; idque sine necessitate, quod inconueniens. Et cum
 antea de eadē re plurali numero dictum sit *quasi mer-
 cenarij*; postea in singulari dici, *erat autem filius eius se-
 nior in agro*. Et filius melior, minor diceretur abie-
 ctior, vilior, quam peior alter ac male institutus. Cum
 enim Prodigus dicit *quasi mercenarij abundāt panibus
 apud patrem meum, ego autem*, qui filius sum *fame me-
 rior*: intendit cōparare indigniores digniori. Augustinus
 hic mihi vndiq; vndique spingit; det mihi Dominus per
 gratiam suam vt illas illæsus & illaceratus transeam.
 Insuper si dicā Prodigum significare populum genti-
 lem, mercenarios populum Iudæorum: quomodo id
 subsistet? nam gentilis videbitur se præferre Iudæo: se
 filium, Iudæum appellans mercenarium & digniorem
 ex natalibus qui abūdet panibus, quam reliqui merce-
 narij. Gentiles enim & Iudæi pariter Dei filij sunt, ra-
 tione creationis, hi non magis quam illi; neuter horū
 filius gratiæ, aut in statu perfecto, cum vtriq; pro sine
 suo habuerint creaturam; filius peccator seu populus
 gentilis, voluptates Epicureorum; mercenarij aut po-
 pulus Iudæorum, mercedem ac bona temporalia. Et
 quomodo bono iure minor viliorque iudicabitur Iu-
 dæus, vtpote mercenarius, quā Prodigus siue gentilis?
 Cum Iudæus fuerit in Dei domo, *in domo patris mei*, in
 obediētia synagogæ, in qua tum habitabat Deus, sicut
 modo in Ecclesia, quam S. Paulus domum Dei appel-
 lat. *Scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ
 est Ecclesia Dei vivi*. Cum quantum ad substantiam &
 naturā Iudæorum opera bona fuerint, (ex genere suo
 inquiūt Theologi) quamuis peruersa intērio, & luscus
 oculus, magis mercedem quam Deum in actionibus
 quærens, ipsa corruerit ac peruertit. Paganus autē
 foris est. Opera eius pleraque ex genere mala, in classe
 ac ordine damnatorum, malæ notæ & insuper cum
 intentio

*Cic. lib. 1. de
 senib.*

1. Timoth. 3.

intento eius bona non fuerit, nec propter Deum, nec propter caelum, quem non cognouit operantis (quomodo enim quis aut amet aut oderit quod nescit: *ignoti nulla cupido, & voluntas*, ut vulgo dicitur, *non fertur in incognitum*) Ideo etiam communiter sic exponant, per mercenarios Iudaei iure non videntur intelligi. Maxime cum quatuor ista hominum genera, filius probus, filius Prodigus, serui, mercenarij, quatuor videantur repraesentare qualitates conscientiae, vel quatuor genera seruorum Dei: ut per mercenarios intelligendi veniant nescio qui homines, qui quauis Deo in Dei populo seruiant, ac in Dei domo, ac inde liberalè à Deo trahant sustentationem, vel animae, vel corporis, vel vtriusque: sint nihilominus viliores & contemptibiliores ipsis Paganis, ac peccatoribus quantumcunque à Deo alienatis. Sicut in diuite familia, mercenarius (propter seruitium quod praestrat, etiam fidele) semper filio vilior est, quamuis contumaci, & immorigero. Sed nescio ubi tales homines possimus imaginari: quia sub homine peccatore immediate bruta constituntur, & bestiae, quae carènt ratione. Sum certe hic in arcto, nec video latius quos per mercenarios illos intelligam; nisi palpando quasi in tenebris, ac libere submittendo me perspicacioribus. Inuestigemus igitur quae possimus optime, & ut licet. Ac notemus primo, Non esse sermonem de omnibus mercenariis, sed de magna parte: nam *quanti mercenarij*, dicit. Secundo. Mercenariu & voluntarium siue gratuitum esse opposita *Quanti mercenarij*, non volones, inquit. Tertio. Totum mundu ac habitatores omnes in duos diuidi populos gentiles & Iudaeos. Omnes vero Dei filios dici per creationem. Nonnulli autem horu, vitae degeneratione primum filioru nomen perdunt: sicut riuuli aliquando aliquo accideti, aut casu dilabentes in alueum maiorem, laxiorem, salsiorem, dulciorem, &c. cui se iungunt ac superatur, mutantque fluxum, colorem, saporem, ripasque suas, aut alio aliquo modo alterati.

Secundum hoc intelligimus meliores ex Iudaico populo, & sanctiores, vel, reuera vel opinione, vel professione

fessione; quales erant Scribæ, magistri nostri in synagoga Pharisei, qui putabantur vere religiosi, filium probum excepto tamen quod felicitati fratris sui succensuerit, & censuerit nimis libere actiones patris. Pro mercenarijs habere debemus surculos quosdam eiusdem populi, imperfectiores, destitutos amore & filiali in Deum affectu, plenos mercenariorum & serui spiritum; manentes tamen in maiorum fide ac synagoga, vera tum temporis Dei domo, sed in primario propter mercedem, nec hoc quidem propter illam summam alterius vitæ, sed propter infamiam huius seculi, vt pro regno, sanitate, diuitijs, terraque promissa. Seruire enim Deo ex amore, quia optimus est, & maximus; quia dignus est cui obediat & seruiatur etiam si nulla etiam sequeretur utilitas, ac ipsi placere copiosum arbitrari salariũ, hoc est quod filium facit, quod volonem, quod gratuitum. Contra vero ita lucro inhiare, vt illo negato negemus seruitium, & ideo agere bene, hoc demum constituit mercenarium ex filio. Per mercenarios igitur nostri textus Dominus noster lucriones illos intelligit, ac illã Iudæorum sæcem, quæ bene non viuit nisi vt sibi bene sit, & propter mercedem terrenam. *O curua in terras anima, & celestium inanes.*

Tren. 3.] *Perijt finis meus, & spes mea à Domino.*

Ac nihilominus merito Prodigus seu gentilis illos sibi præfert; nam sunt moraliter meliores, & maiorem habent conscientie tranquillitatem. Sic opinor explicandos esse Doctores, qui per mercenarios Iudæos significant: id est, ex Iudæis nonnullos, illos nimirum qui recte non agerent, nisi inde quæstum facerent, ac lucrum terrenum.

D. Ambro. tom. 5. lib. 7. in Luc. c. 15.] *Intelligere videtur per mercenarios populum Israel. Mercenarij autem (inquit) qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt: qui sunt ex Israel, non id quod bonum est, probitatis studio, persequentes, nec virtutis gratia, sed utilitatis studio pronotati.*

Albert. mag.] *Quanti mercenarij ad domum patris mei*

mei non pertinentes sed mercede temporali sibi constituta, seruitutes, sicut Iudæi, qui semper spe mercedis temporalis seruerunt.

Beda & Puherbantius in hac mente. Maldonatus autem reijcit qui sic mercenarios istos interpretantur.

Et hæc nostra distinctio aut eiusdem populi in duas partes diuisio, expressis verbis à S. Hieronymo tangitur.

D. Hieron. ad Damasum.] Mercenarios secundum aliam intellectum eos aduertimus ex Iudæis qui ob presentia tantum legis præcepta custodiunt.

Veletiam recte mercenarios Scribas & Phariseos appellat, omnia propter mercedem facientes. Sed quomodo erunt ne iidem filij & mercenarij? Erunt: sed diverso respectu. Prodigus enim noster, filius est sui patris, & mercenarius, aut potius seruus eius cuius pascebat porcos: Oportet distinguere personas & tempora. Pharisei & Scribæ filij Dei erant, quia Dei legem custodiebant; mercenarij vero, quia custodiebant eam tantum quatenus sibi vilem. Aut appellat mercenarios qui Christum sequebantur, ut viderent miracula, & propter panes, ut tum temporis non pauci, cum transiret pascendo, sanando, &c. Aut etiam mercenarios profelytos appellat, id est, Paganos, qui amplectentes Iudaismum circumcidebantur; non tam forte ex religionis, aut Diuinæ legis amore, quam ut pacatius inter Iudæos viuerent, nec vexarentur ab ipsis, tam bello, quam pace; ut pro dolor Christiani quidam apostatæ inter Turcas faciunt, qui Mahometismum & circumcisionem suscipiunt, tantum ut seruitutem suam subleuent. aut apud ipsos fidem inueniant.

Aut etiam subiugatos aliquos bello à Iudæis, quales olim Gabaonitæ.

Est igitur ac si Gentes dicant. Heu nos miseros! minimi Iudæi, qui Deo non seruiunt nisi propter temporalia bona, propter subsidia miraculosa, &c. multo nobis sunt fortunatiores. Instituuntur enim ad recte viuendum per legem, quæ legitur per omne sabbatum, melius etiam viua Apostolorum voce, optime

R per

per Christum ipsum. Per ipsos stat si nō singulis horis remissionem accipiant peccatorum, in adibus, in synagoga, in templo Salomonis, in orationis domo, & nos hic in infidelitate ac sordibus nostris perimus, ac mine animas nostras curante. Nonne sic res habent.

Vel si Prodigus iste repræsentet publicanos ac peccatores publicos, qui iam in ore omnium erant; cum quibus aliquando manducauit Christus; mercenarios qui abundabant panibus explicare possumus, operarios, pauperes, mechanicos, etiam ad litteram, omnes qui ex artibus suis viuebant, ipsos etiam Apostolos, & discipulos Christi, qui plerique manibus quærebant victum, & sudorem suum manducabant: ipsum etiam S. Petrum, de quo S. Hieronymus: *Dives non fuerat, cibus manu & arte quærebat.* Item plebeculam ac mechanicos sollicitos de salute, quorum felicitatem & sermonum Dei abundantiam, qua gaudebant sequentes Christum, vel ut Apostoli, vel tanquam boni auditores, studia laboresque suos propter Domini sermonem intermittentes, accendebant exemplo suo ditiores, sancta quadam inuidia; qui, ut olim S. Augustinus dicebat surgit simplices, & rapiunt regnum cælorum, & nos cum nostris scientiis pleno impetu ruimus ad inferos, etiam ipsi dicebant, nonne turpe est nos ditiores ac nobiliores hic hæsitare, cum popellus iste tam feruide sequatur? Aut etiam non male Sacerdotes repræsentantur Mosaici: quia tanquam mercenarij munera sua administrabant. Omnes Sacerdotes ministri sunt: tamen Dei ad homines, quam hominum ad Deum. *Pontifex in his constituitur quæ sunt ad Deum.* Unde & Deus futuros in Sacerdotio Euangelico, maximos ministros appellat, *qui maior est vestrum, sit vester minister:* & S. Paulus, *ministri Christi sunt & ego.* Et hæc causa est cur postea per seruos significentur, qui à Patre iubentur Prodigum reuertire.

D. Hieron. lib. 3. in Matth.

Item quia, sicut mercenarij pro diurno laborabant denario, sic & Mosaici sacerdotes dotabantur propter sacra ministeria decimis, sacrificiorum partibus, oblationibus, & conuiujs populi (testimonio est quod pri-

mo Regum de filiis Heli narratur) vt nimirum qui ser-
 uiebant altari de altari viuerent, nec seruirent gratis.
*Quis in vobis est qui claudat ostia mea, & incēdat altare
 meum gratuito.* Et maxime tempore Christi, nec popu-
 lo, nec Deo seruibant primario, sed speciatim & vni-
 ce propter vtilitatem, quam inde trahebant; rapientes
 quicquid possent, tenuia etiam parentum alimenta,
 suadentes filiis ad templum transferre. Ac eo forte re-
 spondit Dominus, dicens apud S. Ioannem. *Mercenarius, Ioan. 10.
 & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit
 mes, & fugit quia mercenarius est.*

Item quia sicut mercenarius non perpetuum vt ser-
 uij, sed pro tempore tantum obsequium præstat: acci-
 pit enim aut petit recedendi veniam, vel quando vtri-
 que parti videtur, vel quādo dictum tempus expleue-
 rit: sic & Sacerdotes Mosaici, maxime summi Ponti-
 fices, non erant tum nisi annui, contra institutū Dei,
 & à sua Regumque dependebant libidine, ac avaritia.

Item quia mercenarij seruitia præstant, sed nec tam
 abiecta, nec tam obligata quam serui, & ancillæ sic &
 sacerdotes ministri sunt, non tamen omnium abiecta
 mancipia. Quia deniq; sicut mercenariorum gradus
 tertius est, medius inter filiū & seruum communicans
 cum filio aliqualem libertatem, communicans etiam
 seruo in hoc quod seruiat; differens ab vtroque, quod
 laboris sui accipiat pretiū, quod nec seruus nec filius;
 filius enim patri lucratur, seruus Domino. Sic & Sa-
 cerdotes tertij sunt, & constituti sunt inter homines
*(omnis enim pontifex ex hominib. assumptus pro hominib.
 constituitur vt sit in his &c.)* Et quasi tertij gradum cō-
 stituūt, mediū inter peccatores & bonos, vtrinq; par-
 ticipantes: peccatores scilicet, quatenus homines, vt
 reliqui; quāuis nō rati, vt reliqui; vnde & sacrificiū of-
 ferūt primo pro se, deinde pro populo: boni etiā sicut
 alij, & nonnunquā aliis meliores, quod ipsos dignos
 facit vt primum pro se, deinde pro populo omnibusque
 aliis offerant. Vnde & sacri vnctique sunt, quod alij
 nō sunt; ac aliud ministeriū habent quam peccatores
 & iusti; exercentes autem bene officium suum non

tantum sicut alij bene merentur, sed etiam hic in terris iure Diuino ac humano alimenta præbendaque suas recipiunt, quod alijs non ita contingit, (dicere præbendis) nec bonis qui filij Dei sunt, nec peccatoribus qui Dei serui sunt: quamcunque etiam virtutis actionem Deo seruientes exercent. Vnde & iure mercenarij nominantur, in quantum præbendas & stipendia accipiunt, etiam si tali fine ad talia ministeria consecrati non sint. Sed dices. Illi igitur secuti sunt ac seruiunt Christo? & viuunt de panibus doctrinæ ipsius? Respondeo. Quidni ipsorum aliqui? de antiquis loquor, qui antiquitus sacerdotalia munia obierunt. Sed satis est in præsentibus publicanos credidisse, secutos, esse, & seruiisse. Nam verisimile multum ipsos eadem doctrina potuisse proficere, quia familiariter eum audierant, interrogauerant, nonnunquam etiam cum ipso disputauerant, atque manducauerant in eadem mensa.

Nostri publicani non multum examinât se, verum in mensa comedant, nec ne; vtrum hypocritam ac fraudem in opere suo admisceant; sed curant tantum vt sepe ad mensam conueniant, id est, vt auditores sint Christi, sicut & reliqui: vt Christus ipsos tractet liberaliter doctrinæ suæ panibus, sicut & cæteros. *Quanti mercenarij abundant panibus*, inquit: non manducant, siue enim manducant, siue non, abundant saltem vt manducare possint. Frequentes habent sermones, frequentes lectiones habent, vnde proficiant in disciplina Christi, & pro dolor raro illa attingunt, quia nimium sunt intricati negotijs, toto die desidentes ad scrinia & loculos.

Vel etiam Publicani, intelliguntur per istos mercenarios; gentiles scilicet, sed ad Iudaismum conuersi, insiti quasi trunco, in radicem, & corpus synagogæ, per circumcisionem: qui saturabantur aut pascebantur quotidie audiendis Christi sermonibus, ac redibant quotidie ad ipsum meliores; cum interim natura Iudæi, naturales rami religione cum materno lacte imbui, quod nimium immergi essent radicibus, cutis, recipien-

recipiendis Regum pecuniis, non adibant synagogas
 tanquam excommunicati, & proinde ieiuni, fame cō-
 ficiebantur negligētes verborum Christi panem, qui
 toties docuerat ipsos. *Quotidie apud vos sedebam docēs* *Matth. 26.*
in templo. Ego semper docui in templo quo omnes Iudæi *Ioan. 18.*
conueniunt. Vel etiam intelligantur Pagani qui nec de
 synagoga, nec de Ecclesia Christi erant: sed seruibant
 solum Deo, ipsi subditi per creationem, accipientes
 salaria prouidentia generalis, salaria æqualia & com-
 munita omnibus; atque aliquo modo mercenarij non
 manentes sub tecto Ecclesie, vel synagogæ, sed foris;
 ipse tamen mercenarij, quod satis est iuxta Græcum
 textum, qui non habet, *in domo patris mei* sicut Latini-
 nus, sed solum *mercenarij patris* siue domi, siue foris
 fuerint. Illi igitur vel quidam ipsorum quales melio-
 res aliqui ac seuerioris sectæ Philosophi, moraliter vi-
 uunt bene, naturæ & scholarum regulas secuti. Nos
 autem Publicani & Iudæi, super hoc instructi à Mose,
 à Rabinis, & à Iesu Christo, si velimus eum auscultare,
 taliter qualiter ac perditæ viuimus. Ecce quam hæc
 belle procedant, Deo sit laus.

Vel etiam Publicani translati ad Indæos, vt tanto
 se magis humiliēt, dicunt minimos gentilium mo-
 raliter meliores esse, in sola lege naturæ, quam ipsi in
 lege Mosaica, explicata à Phariseis: ac ideo velle mu-
 tare magistrum, & commentatorem, ac in posterum
 audire Christum, eiusq; fieri discipulos. Et hoc quam
 optime. Sed quomodo verba hæc ad peccatores in ge-
 nere accommodabimus? Dicemus quod peccator ap-
 peller mercenarios illos, qui abstinēt à peccatis, &
 seruiunt Deo, sed pro bonis tantum huius vitæ: æsti-
 metque eos se meliores, quia non putat eos secum esse
 in seruitute Diaboli, cum tamen reuera sint, & peccēt
 abstinētes à peccato pro tali tantum respectu; melior
 tamen est, minusq; malus, qui tali etiam respectu hu-
 mano à malo abstinēt, quam qui sine vlllo humano &
 diuino respectu, in omnia scelera se præcipitat. Illi bo-
 ni sunt quantum ad substantiam operis, imperfecti
 autem quantum ad circumstantias & intentionem:

hi nequã sunt ex omni parte. D. Bern. serm. de affectu animæ.] *Hi sunt quos in seculo videmus aut nullo, aut exiguo desiderio aeternorum, velut sub mercede seruire Deo & ab eo terrena petere qua desiderant. Isidorus Clarus Brixianus Fulginatensis scholasticus in hunc locum, & Conr. Iansen. in concord. paribus verbis in hac mente.*

Et reuera minimus Dei seruus, omni parte felicior est maximo ministro Diaboli. Vel intelliguntur qui materialiter boni sunt, pro mundi gloria, illuc aut solum aut præcipue conicietes oculum, tanquam in totam mercedem; non tamen formaliter iusti sunt.

Vel intelliguntur qui iuxta præsentem iustitiam, ac statum in quo sunt, meliores sunt ipsis secundum malitiam præsentem; qui pro tempore illo feliciores melioresque sunt, quam illi qui pro tempore isto sunt in statu damnationis: respectu tamen futuri temporis deterioris conditionis sunt, quia ipsi apud Deum prædestinati sunt: Si autem secundum futuram iniustitiam præuisi & præcogniti sunt, de numero futuri reprobatorum: Et sic optime vocantur mercenarij, tam quia ob bona sua opera, ac iustitiam præsentem, recipient remunerationem aliquam hic, bona quædam temporalia, vt gloriam, diuitias, sanitatem, & postea supplicij æterni aliquam moderationem: quam propter ipsorum libertatem, similem libertati mercenariorum. Tales enim hodie Deo seruire possunt, cras cessant; sicut mercenarij cum ipsis placet, & ipsorum Domino.

*Gaietanus
hic.*

Vel iuxta Caietanum & Iansenium, filij sunt qui gratias & maiora Dei dona susceperunt; vt sacerdotes, Reges, diuites: ac nihilominus grauiter hallucinati sunt, crasseque ceciderunt: mercenarij qui minores à Deo acceperunt gratias, vt laici, subditi, pauperes, idiotæ, mechanici, ac minus deliquerunt; viuētes iuxta mandata Euangelica, communia omnibus, incipientes, imperfecti, inter viride & aridum, inter calidum & frigidum, non obligantes se ad consilia Euangelica. Et hoc recte. Filij enim sunt qui liberalius & indulgentius habentur, mercenarij qui tenuius & parcus. Accidit autem sæpe vt qui maiores acceperant gratias, quando possunt

do post grauem lapsum considerant cōmunem popu-
lum simpliciter viuentem, minusq; grauius peccantē,
& rarius; minores illos existimāt esse se feliciores, qui
contenti suauī decursu, tandem post longum tempus
parua solum lucrantur, cum minori periculo: cum ipsi
per alta nauigantes maria, & sublimius vt aquilae vo-
lantes, plus quidem reportent lucri, si portum teneāt:
sed cum multo maiori periculo, extremi infortunij &
ruinae irreparabilis. *Medio tutissimus ibis.*

Frater Ioānes Granatēsis & Maldonatus hīc.] *Illi in
domo Dei significantur, qui in infimo sunt gradu, sicut in
domo mercenarij sunt.*

Vel magis in particulari. Querelae sunt quorūdam
diuitum peccatorum, qui mundi facultates in oculis,
in manibus habentes, totis occupatis diebus sibi ipsis
succēsent quod inter tātas diuitias adeo pauperes sint,
vt nullam quietem, nullam tranquillitatem inuenire
possint, morientes fame inter medios cibos, ardentis
siti inter vina, sicut Tantalus in medio fontium; ince-
dētes nudi, aut semitecti cētonibus, instar Iri alicuius,
aut Iridis diuersicoloribus pannis obfiti, non audētes
vt facultatibus magis quā *pupilli minorē es: viden-
tes interim tot mercenarios, tot manuarios, artifices,
mendicos, tot operarios, viuere liberaliter; contentos
suo modico, eoq; honeste vrentes. *In quātum suis atq;
fames & frigus possunt.* Dominantes diuitis suis, cum
cōtra diuites illi & auari semper pauperes, opibus suis
seruiant. *Quāti mercenarij, opifices, mechanicī abundāt:
abundant. Sed quis diues qui nil cupiat: Ego autem diues,
Quaestor, Publicanus, Gryphus hyperboreus, auri custos
atq; incubator, &c. fame pereō, fame pereō. Sed quis pau-
per: auarus eget semper, auarus eget.*

D. Ambro. de Naboth Israelita.] *Pauperiorē se iudi-
cat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur, qui quid
ab alijs possidetur: toto mundo eget: cuius non capit mun-
dus cupiditatem.*

Horat. 3. carm. 16.] *Crescentem sequitur cura pecu-
niam, maiorumq; fames.*

Idem 1. serm. 1.] *Nil satis est inquit.*

*Pythag. in
Prouerb.
Philos. Iu-
uen. Sat. 14.*

*Vide D. Am-
brof. tom. 3.
lib. 3. Ep. 1.
Quis pau-
per quis di-
ues.*

Publ. Mimus.] *Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet.*

Iuuenal. Sat. 12.

*Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia viuunt.*

Vel querelæ sunt cuiusuis alterius diuitis, & prodigi; qui post rem decoctam redactum se videt ad paleas (quales modo plures, quos intolerabiles vestit luxus, conuiuia, sumptus, heu nimis commune hodie vitium, ad rem arctam contraxere.) Videns autem ex altera parte homines modicos, terræ filios, ad copiosas promouisse diuitias, magnos ex pedite factos equites, ex parui-lucris & sordidis mercibus, iam potissimos factos esse mercatores, quique vnum pro dote attulit obolū, iam modios implere argenti & auri, exaltate ceruos *cumulo Hesiodo*, saccos thesaurorum; hosinquam videns, suum inuadit miser capillum, clamans, *quanti mercenarij abundant.* Quam multi è tenuitate in ceperunt, & ex illo nihilo quasi mundum cum Deo fabricarunt, incomparabili corrasa opulencia. *Ego autem hic fame pereo.* Et ego filius tanti mercatoris, *alba gallina filius, filius Decrum*, qui negotia mea tantis opibus in cepti, tantis mercibus, hic fame pereo.

Aut querelæ sunt peccatoris vel peccatricis, maxime carnalis, quæ se aliis comparat in alio genere peccatoribus; quæ se si iam nominat propter præteriti temporis gratiam, & inter mercenarios se computat, sed mercenarios Diaboli; propter peccata præsentia: quæ alios peccatores abundare dicit panibus, quia illos in suis peccatis minus videt inquietos; se autem contra mori fame, quia toties iam experita est cupiditates carnis quotidie repullulascere, hodie forte fessas ac lassas, cras iterum avidas & famelicas. *Cras quoque fiet idem, malum illud ex suo vt Phoenix cinere nascitur.*

D. Hieron. Epist. *Libido enim transacta, semper sua relinquit putredinem & nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit & deficit.*

Cicero lib. 2. de finibus.] *Vnum nescio quomodo posse (quis) si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.*

Public.

Quid.

Public. Mim.] *Luxuria defunt multa, auaritia omnia.*
 Ac reuera omnes amantes sunt mercenarij. Non enim diutius feruiunt quam volunt, aut hic, aut illa: ac tantum præstant, quantum soluitur.

O bellas, ni fallor, expositiones, gratia tibi sit Domine, qui has mihi suggestisti, etiam præter spem. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Magnificite Dominum metum. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psal.

III.

Qui mercenarij dici possint, qui non, contra non-nullos calumniatores.

Veniamus modo ad alias mercenariorum species, operas & actiones virtuosas locantium: bonas alioquin, nisi fierent propter int'etam mercedem. Quis non dicet Patronos & Aduocatos mercenarios, qui in speciem misericordiae opera præstant, subueniunt pauperum & oppressorum causis; sed reuera mille crudelitates exercent, nec verbum dicunt, aut scribunt, nisi magno pretio, ac sæpe non illuc conferunt industriam ubi iustitia, sed ubi aurum est? *Ibi fas, ubi plurima merces.* Lingua, calamus, conscientia, cor, anima, omnia ipsius venalia. Nunquam ne legistis Ciceroni olim à Salustio obiectum, *Leuissimus Senator mercenarius Patronus.*

Lucanus.

Salustius Orat. in Ciceron.] *Minime mirandum, si Cicero resp. eloquentiam flagitiose venditas, quam turpissime parasti. in Salust.*

Et Cicero ut retaliaret, ipsi obiecit: *Senatus honorẽ ita gessit Salustius, ut nihil in eo non venale habuerit, cuius aliquis emtor fuerit.*

Et nescio quis apud Plautum iactare audeat, se nihil æque ac linguam habere venalem.

Plautus in Stich. Act. 4.] *Neq, aliud quicquam, nisi quod hoc habeo pallium, præter unam linguam quoque etiam venditariam.*

Ac Domini isti sæpe admodum diuites sunt, sæpeq; abundant panibus, carnibus, canibus, auibus, &c. Et quomodo non? Exorbitantia accipiunt salaria, & intuper

munera ipsis salariis maiora, non raro vtraque manent, ab hac & ab illa parte: quod vitium Quintilianus à perfecto Oratore omnino vult abesse, vt melius iustitiam contra iniuriam tueatur.

Quintil. l. 12. instit.] *Submouendum vero est vtrumque ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditorem operam suam; vel illud etiam iactantius, minores vtiq; contra dignitatem atollendi.*

Quid. 1. Amor.

Turpe reos enī a miseris defendere lingua

Quod faciat magnas, turpe tribunal opes.

Reuera pessimum hoc in ipsis est, quod clanculum duabus manibus dona capiant, facientes se pensionarios & mercenarios partis aduersæ, prodentes causam quam publice tuentur. Cauete ne & hic tales inueniantur, inter istos formularios. *Quanti dicit Prodigus, quam sunt hic multi, et si antiquum habeat prouerbium, vnus in vrbe Aduocatus, vna nux in vinea, vnus porcus in segete, vnus seditiosus in exercitu satis est ad perdendum & destruendum totum.* Inuenimus profecto Atheniensem quendam Oratorem, nomine Demadem, decem accepisse talenta, solum vt taceret nec officeret causæ interloquendo. Et certissimum est, quod refert Plutarchus & Aulus Agellius, Demosthenem cum vno die fortissime restitisset in pleno legatorum Milesiensium consessu, qui Athenas auxilia peritum venerant; reductis iam quasi ad desperationem rebus, cum sententia dilata esset in crastinum, legati quantum in vtramq; partem Demosthenis lingua posset experti, domi multo argēto linguam eius redemerūt: postridie reuersus Orator in Curiam, obuoluto lanis collo, simulauit morbū & Anginā, qua prohiberetur loqui vt pridie: non latuit peritiores ac naturiores in isto cœtu, vnde quidam sentiens fraudem, exclamauit. *Non Anginam sed Argēt anginam patitur Demosthenes,* i. Argēto obmuruit, cuius grandi bolo, os heri ita patulum, ita hiulcū, legati obturauerunt ne vltra latret. Occurrit mihi ad hanc rem, quod aliquando a Nicolo Stegero, præceptore meo, quæ honoris causa no-

Vide Gell.

*Plutarch. in
vita De-
mosth.*

*A. Gellius
post. Attic.*

nino, in scholis memini audiuisse. Aduocatus cū vaccā
 a cliente suo accepisset, vt tātō melius inuigilaret cau-
 sę; bouem vero clanculum à parte opposita, aut vt cō-
 niueret (si addixisset alteri operā) aut vt reiceret si nec-
 dum; postmodum in litis processu, videns dator vaccę
 patronum suum admodum remissum, & frigidū; duo
 hęc verba Latine forte insufurravit in aurem: loquere
 vacca. Aduocatus lepide ipsi reposuit, *bos nō p̄mit*: quasi
 dimisset illud antiquum, *bos in lingua*; vel *taceo cętera*,
 linguam occupauit bos quidam ingens. Nōne hoc est
 agere mercenarium, vt abūdes panibus, vt diues fias; &
 tandem miser canat cliētulus, *ego autem hic fame pereo*:
 tum quod vtraq; manu accipias, tum quod linguam
 bis vendas, semel ad patrocinium, semel ad silentium.
 Non erraturus multū mihi videtur, qui istos homines
 de ridiculo compararet Batto. Qui (vt mysticę habēt
 Ouidij fabulę) custos pascens gregis, inductus fuit à
 Mercurio, oblata vacca, tacere ac celare furtum: acce-
 pta conditione, & promisso silentio, Mercurius alia
 iam specie ad ipsum redit ignotus, mutata veste ac lin-
 gua, rogans nū vsquā vidisset pascere armēta, ptomit-
 tens si iudicaret vaccam & bouē: bellus homo oblitus
 prius acceptę vaccę, illectus duplicato p̄mio, dupli-
 catis etiam verbis vbi esset edocuit. *Senior postquam est*
merces geminata, sub illis montibus (inquit) erant & erāt
sub montibus illis. Confessionem, vt aiunt, Diabolo fa-
 ciens, & furem furi accusans auaritiā, & fidem ipsius
 inuestiganti. Sic & patroni isti mercenarij & munera-
 rij, si vaccā non dederis, frigent pro causa: si dederis, &
 alter pretium geminauerit, fallunt ac destituunt rute-
 lam: etiam saccum & fundamenta causę clanculum
 aperitū contralitiganti. Professi publice defensionem
 tui, clanculum vero capitales inimici. *Munera excacāt*
oculos sapientum & mutant verba iustorum. Nihil mirū
 si diuites sint, si abūdet panibus, si fumet culina, si seri-
 co bissoq; splendeāt, si palatia vt Reges habitēt, popel-
 lus autē gemat *ego hic fame pereo.* Domini isti sanguisū-
 gę & molitores sunt Reipublicę, qui ex eodē sacco, vt
 aiūt, pro molitura duplicē mercedē accipiūt, norūtq;
 alere

Vide Chi-
 liades Eras-
 mos in lin-
 gua.

Ouid. lib. 2.
 Metam.

alere processus, ac feminare discordias, vnde ipsi me-
tant sepius quam bis in anno.

Horat. in
arte.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Peiores etiam sunt bellij isti homines, quam me-
cenarij de quibus iste Prodigus. Nam et si illi abundi-
rent, non depilabunt saltem: Prodigus enim iam nu-
dus erat, & quod clamabat, *ego autem hic fame pere-*
non procedebat ex cautionibus & processibus merce-
nariorum patris sui: sed quod Aduocati, & Patroni, ac
rabulæ forenses abundant, hoc de plumis est paupe-
rum, & de bonis clamantium, *ego autem hic fame pere-*
& filij mei mecum. Domini enim isti per cautelas, per
stratagemata, & iuris vias, omnes eorum facultates
exfuxerunt, aut multis dilationibus ac causarum re-
missionibus, inducti ab aduersa parte negligenter a-
gunt, vt nec impensas, nec damna accepta recuperent,
quæ per diligentiam ipsorum consequi potuissent.
Quid? nonne inuenimus Aduocatum promississe cui-
dam, tota vita ipsum non compellendum ad solutio-
nem argenti, pro quo ab altero citabatur. Ac alius qui-
dam Mediolani, adeo erat tritus in hac palestra, vt li-
tes quo vellet pertraheret. Quod cum Galeatus Me-
diolanensis Dux intellexisset, consuluit ipsum, dicens
se mille scuta debere pistori ex pacto, & libeter, si mo-
dus inueniri posset, soluturum minus. Aduocatus pro-
misit solutionem differre ad decem annos, ad quos li-
tem protraheret: quo audito Dux ipsum multauit sus-
pendio. Peiores inquam, sunt prædictis mercenariis:
vt enim dicit Iob, *Mercenarius præstolatur finem operis
sui*, illi autem Domini nihil nisi moras nectunt, & vt
Penelope, quantum interdium texunt, tantum noctu
detexunt. *Vnus (dies) edificans alius destruens.* Mercena-
rius etiam, inquit S. Gregorius, curat ne dies vlla sine
fructu abeat, ne vacuis abeat manibus quando solutio
rependitur. Appelli nulla dies abibat sine linea: *Nulla
dies abeat quin linea ducta supersit.* Sed homi isti Domi-
ni relinquunt saccum clausum, chartas signatas, nec
inspiciunt, Deus nouit, quanto tempore. Accipiunt
interim manu altera lepores, altera arietes.

Iob 7.

D. Gre-

D. Gregor. lib. 8. moral. c. 7. & lib. 12. c. 2.] *Mercenarius sollicitus curat ne unquam dies vacuum ab opere labatur, & expectatus finis temporis ne inanis veniat ad remunerationem.*

Item.] *Mercenarius quanto longius est à fine operis, tanto & à retributione mercedis.*

Alij mercenarij non solent accipere, nisi die ac labore expleto, solutionem. *Cum sero autem factum esset, dicit paterfamilias procuratori suo, voca operarios, & vide illis mercedem suam.* Ad vesperam soluit vinitoribus paterfamilias, Rex ducibus ac militibus ad mensam, ad sex septimanas, nonnunquam finito bello, discipulus magistro cum edoctus est, Dominus seruo cum annus euolutus. Nostri autem Aduocati & mercenarij nihil faciunt, nihil dicunt, ne quidem *orsus* vel *orsa* ad inchoandum opus, nisi videant aurum ac sentiant; & munera accipiunt, non quia bene egerunt, sed vt bene agant.

Alij mercenarij fures se putant, nisi fideliter seruiētes mercedem suam iuste lucrentur: his vero hoc religioni non est, sed totus fere mundus dicit & clamat: *Aduocatus fur, fur molitor.* Ac interim abundant panibus, *Abundant tabernacula prae donorum.*

In eadem classe pono testes falsos; qui linguam etiā ita habent venditariam, vt vno ducato *Æthiopem* niue faciant candidiorem, ac album quolibet *Æthiope* *æthiopiorem.*

In eodem ordine colloco, qui pretio linguas & calamos vendunt, iustificantes impium, commendantes suam opere qui merentur minus, vt eos ad dignitates promoueant, ad magistratus, vt dorsum purpura, caput diademate aut mitra, manibus scepro aut cruce vestiant. Ah Deus bone, quot non videmus *Mitridates* ac *Mitridatores*, qui sollicitant, ac impetrant, donantque mitras, non dignioribus sed liberalioribus.

In eundē red go ordinem qui suffragia vendunt, qui corrupti se sinūt auro promissis, dignitatibus, & honoribus: qui in aula, in consistorio & à maioribus corrupti se sinunt, vt cōtra minores loquantur, sub specie fidelitatis

delitatis, obedientiæ, & respectu superiorum; audentia
 ut taceant pro minoribus, vbi expediret totum dicere,
 & aperire semel cloacam, ad Regni, Reipublicæ Pro-
 uinciæ, & totius populi emolumentum: vbi sc. os ape-
 riendum est pro muta Republica, maxime iis, qui in-
 pendia, & salaria publica accipiunt, ut absentis causa
 agant; nisi boues & vaccæ maiorū, buculas minorū tu-
 cere facerēt. Tales aliquoties videtur habuisse Roma-
 ac à talibus (vt inquit Sallust.) esse perdita, sicut & nos
 perimus per consiliarios, suffragatores, definitores,
 mercenarios, &c.

Sallust. orat. in Cicer.] *Populus Rom. in largitionibus
 corruptus est, ut sese ac fortunas suas venales habeat.*

Idem alibi.] *O urbem venalem & cito perituram!*

*Spartam auaritia perituram olim, predictum videtur
 Cic. lib. Officiorum.*

*Notum C. Pontij Samnitis votum tunc nascendi, cum
 Roma aurum amaret, extorturum enim se illi imperium
 Cic. Off.*

Mercenariis etiam concionatores quosdam accen-
 seo, quorum emptum videtur silētium, ne publica ar-
 guant vitia, quæ totus videt mundus in perniciem ver-
 sare, perdunt Ecclesias, perdunt corpora, perdunt ani-
 mas, & seiplos. Sed quid? boni isti homines, vt fides i-
 psis habeatur, vt aliquid possint aut prodesse aut obse-
 re, vt aliquid obtineant, dissimulant & tacent vitia, ac
 totum sinunt misceri mundum, nec os diducunt, nec
 digito rem istam tangunt. Leones vbi nihil opus, cerui
 & agni (non quidem innocētia sed silentio) vbi leonē
 præstari oporteret. Stentoras putares Homericos, ita
 laudes eorū declamant quorum cōmoda sperāt. Tan-
 tum excitant strepitū, quātum quingēti alij: vt Scætor
 olim in exercitu Græcorum, sed in plebeculæ vitia. Lu-
 pum vero viderūt, aut lupus prior ipsos, ita humiliter
 loquuntur quando vitia tangenda sunt eorum, quorū
 gratiam ambiunt. Tangere non audent pellem obesi
 tauri, *Audite verbū hoc vacca pingues, dicit Dominus,*
 aut si eos tangāt, id duobus tantū faciunt digitulis, id-
 que bene vnctis, cauētes ne recalcitrent, ac licenum in
 cornu

*Homer. 5. I-
 liad.*

portent, ne spe sua excidant. Viua ipsorum voces, pro-
 cemia, discursus, epilogi, omnia mercenaria: *Venaleſq;
 manus calamiq;, bos in lingua, bos in manu, in calamo.*

Nonue illi ex eorū genere sunt, quos Christus dicit
 videre lupum ac fugere, deferentes gregem quia mer-
 cenarij sunt, nec pertinet ad ipsos de ouibus. Qui sunt

IOAN. 10.

lupiniſi qui aſſiliunt, ac inuadunt oues, vt rapiant, vt
 deglubant, vt ſtrangulent, vt deuorent. Nō multis hic
 opus verbis: nam hic, Deo laus, nullus adeo bos, adeo
 caſſus Arcadiæ aſinus, qui parabolas & metaphoras
 illas non intelligat. Et quid eſt gregem deferere ac fu-
 gere, quam (niſi multum fallor) non curare quod grex
 patiat, quid ipſi graue obueniāt, dummodo merce-
 narius nullam habeat noxam. Fugere non ſemper eſt
 corpore abeſſe: minime, ſed deeſſe officio: non defen-
 dere, non patrocinari, nō curare ſerio cauſam paruu-
 lorum, quæ nobis deberet eſſe cōmendatiſſima. *Quē*

Virgil.

Latine non eleganter dicimus *deſertorem Aſia, patria,
 cauſa.* Nō eum qui corpore inde abſceſſerit, ſed qui o-
 peram ſubtraxerit; non præſtans in neceſſitate auxi-
 lium. Ad hunc modū de amica ſua adoleſcens cōque-
 ritur, non tam corpore quam affectu eſſe alienatam.

*Vtinam eſt fides? Dum ego propter te errans, patria careo Terent. in
 demens, tu interea loci, collocuplet aſti te Antiphila & me Heaut. Act.
 in his deſeruiſti malis. Et cum Dominus noſter vniciq; 2. Scen. 3.
 promittit, non te deſeram neq; te derelinquam, aut cum Hebr. 13.
 dicimus Deus non vos deſerat in tempore malo; non op- 2. Malach. 1.*

ramus Deum ſecundum eſſentiam a nobis nunquam
 recedere: ita enim tam bonis quam malis neceſſario
 ſemper præſens eſt. Sed ne gratia ac beneuolentia eius
 in neceſſitate deſtituamur. Et optime quilibet dicitur
 ſolus etiā in medio exercitu, & tam numeroſo quam
 vel Moſis, vel Xerxis, vel magni Tamerlanis, cum ne-
 mo ſuum præſtat officium, & verba iſta ſolitudo & ſo-
 litas, ſæpe ſignificant deſertum eſſe ab amicis.

Terent. in Adelph. Act. 3. Scen. 2.

Tot res repente circumuallant,

Vnde emergi non poteſt.

Vis, egeſtas, iniuſtitia, ſolitudo, infamia.

Bene

Bene igitur dico, deserere gregē, esse fugere sine lu-
ga, præsentem esse corpore, absentem corde, & opere
est: accendere currum & accingere se quasi ad oem
tutelam, cum autem ad res & ad arma veniat, id est
cum alacriter magnorum vitia tangenda sunt, imbe-
morta que percutere manu, nihil dicere, aut ita dici-
re ut præstaret tacere. Audite hæc de re, si placet, S. Gre-
gorium.

S. Gregor. homil. 4. in Euang.] *Vtrum pastor sit an
mercenarius, veraciter cognosci non potest, si occasio ne-
cessitatis deest. Tranquillitas enim tempore plerumque ad
gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius
stet. Sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gre-
gis custodiam stabat. Lupus enim est super oves venit, cum
quolibet iniustus & raptor fidelis quoque atque humilis
primit, sed is qui pastor esse videbatur, non erat: r. lupus
oves & fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, resis-
tere eius iniustitia non presumit. Fugit autem (adverte
verba ad nostrum propositum) non mutando locum sed
subtrahendo solatium. Fugit notate mercenarij, notate
quia iniustitiam vidit & tacuit, fugit. Notate adhuc se-
mel, nihil necesse ut vobis exponam: nam Latine in-
telligitis, non necesse ut Gallice interpretemur magi-
stris, non magis quam Latina Cordigeris, ut dicere
proverbio consuevit Philippus de Comines, quod
nullum facit ad ordinis nostri honorem. Fugit, quia
se sub silentio abscondit. Quibus bene per Prophetam dicitur:
Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos mu-
rum pro domo Dei Israel, ut staretis in pralio in die Do-
mini. Ex adverso quippe ascendere, est quibuslibet potesta-
tibus prave agēibus libera voce contraire. Et in die Domi-
ni pro domo Israel in pralio stamus ac murum opponimus,
si fideles innocentes, contra peruersorum iniustitiam, ex
iniustitia auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius
non facit, cum venientem lupum viderit fugit.*

O dura verba mercenariis ac dominis tam tacitur-
nis, mihi dulcia plenaque solatij, & omnibus qui vere
cum Davide dicunt, & loquebar de testimoniis tuis in
co spectu regum, & non confundebar. Vcl cum Cicero-
ne.

Ezech. 13.

Nullus amicitia usus sum qui non perpetuo Reip. Ec-
 lesie, veritati, iustitie amicus fuit. Etiam si complures
 meæ libertati succenseant. Utinam sim (bone Iesu)
 semper sim in classe potius loquentium, quam mer-
 cenario- rum tacentium, qui non concionantur sed
 canponantur verbum Dei, vt dicebat Pyrrhus Rex de
 bello.

Cicer. orat.
 resp. ad Sa-
 lust.

Non canponantes bellum sed bell'gerantes.

Cic. lib. Of-
 fic.

Ne auferas Deus. Ne auferas de ore meo verbum veri-
 tatis usquequaq; et si ea vtriq; amarissima, auditori at-
 que auihori; Auihori certe, miseris inimicat vrbes: paucos
 amicat.

Psal.

Quidlibet accidat, faciat mundus quodcunq; po-
 test, dummodo mihi Deus sit à dextris, Me iustum esse
 gratis oportet, cum Deus & officium nos illuc inuitet,
 ac natura impellat.

Horat.
 Senec. epist.
 114.

Eo ego ingenio natus sum, amicitiam (virtutibus) atq;
 inimicitiam (vitiis) in frontem promptam gero. Sed trans-
 eamus ad alia, hæc Deus emendet.

Enn: us.

Colloco etiam inter mercenarios qui non curant
 amicos nisi potentes, à quibus auxilia sperant, & pro-
 motiones, aut sibi aut suis: vel diuites, à quibus com-
 moda sperant ac conuiuia, & reinuitari, aut viduas &
 orphanos quorum captant testameta & hæreditates
 ex asse vel ex parte. Omnes denique qui neminem iu-
 uant, nisi in quantū sibi conducit, qui amicitias vtili-
 tate probant: quales multi sunt, utinam pauciores.
 Quanti, quanti qui ita nundinant amicitias, sciunt an-
 cillari & incuruari ad offam. Quanti mercenarij, quot,
 quanti, quam magni, & illustres qui sic mercenarij?

D. Hieron. l. 2. Ep. 14. ad Nepotianum edit. Canisla-
 na. Audio in senes & anus absq; liberis, quorundam tur-
 pe seruitium: ipsi apponunt marulam, obsident lectum &
 purulentiam stomachi & phlegma a pulmonis manu pro-
 pria suscipiunt.

Ac utinam non in domo patris mei, quos oculis vide-
 mus, ac manibus tenemus.

Nemo tam obescæ naris, tam hebes, qui non sentiat
 quomodo retia tendant, ac insidientur iam bonis hu-
 ius,

ius, iam illius, ac vt venatores siluas cingunt, vt lepores feralque capiant. *Testamenta & orbos velut erom indagine capi, i captatores esse orborum, ita vt paucapriones euadant.*

De quo Seneca etiam (mirum in homine tam literato & Stoico) notatus non tacite per Tacitum. *Vah! contra pecunias disputantes auro sinum expaudimus* dicit S. Hieronymus. O quantū malum est in diuitias grandi tonare voce, & semper oculum ac cor in aurū reflectere. *Cor exercitatum auaritia habentes* dicit S.

2. Petr. 2.

Matth. 23.

Lucæ 20.

Petrus. id reuera est Scribas imitari & Phariseos, quibus tanta mala minatur Dominus. *Ve vobis Scribae & Pharisei hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, vel secundum Lucam simulat longam orationem* Quali Deo familiares, causas agunt miserorum, quorum conscientias peccata affligunt & turbant, & interim in mercedem respicitis, ac prædes muliercularum quæ facile credunt. S. Hieronymus diuersis locis taxat eos qui suo tempore mulcebant viudas & diuites, vt inde caperent fructum. Seneca optime illos comparat vulturibus qui semper ad cadauera partum euolant.

Seneca. Ep. 96.] *Amico agro aliquis assidet, probatur at hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadauer expectat.*

Idem alibi.] *Prædam sequitur turba ista, non hominem.*

Tales inquit Cicero ex amicis suis bestias faciunt enim Flandricas vaccas amamus magis, quia melius mulctra implēt; oues magis lanigeras; gallinas quæ maiora & plura creant oua; ac denique iumenta omnia quæ plus adferunt emolumenti: sic illi aut magis amant, aut plus amare simulant eos à quibus comoda maiora expectant.

Cic. lib. de Amicitia.] *Pleriq; neq; in rebus humanitatis quidquam boni norunt, nisi quod fructuosum sit: & amicos & tanquam pecudes eos diligunt potissimum, ex quibus sperant se maximum fructum capturos.*

Amicitia debet esse liberalis, sincera, siue spe mercedis

tedis utrimque: sic Deus suo docuit exemplo, sic man-
 tauit. Docuit nos, hominibus bene faciens, solū ideo
 quia delectatur bonis operib. nihil à nobis expectans,
 nihil enim nostri indiget. Sol nobis quotidie lucet,
 terra fructus germinat, dat ventos, dat pluuias in tem-
 pore suo. Quid quæso inde capit emolumēti? Si ergo
 Deus nobis tam gratuitus est amicus, cur homines in-
 ter se amicitias habebunt mercenarias? *Sequere Deum.*
 Quam enim est, ut imago sequatur prototypon.

[S. nec lib. 4. de benef. cap. 25.] *Propositum est nobis se-
 cundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum
 sequi. Deum autem quodcumq; faciūt in eo nihil præter ipsam
 faciendi rationem sequuntur, nisi forte existimas fructum
 operum suorum ex fumo extorū & thuris odore percipere.
 Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuunt, quanta
 terras fructibus impleāt, quam oportunitis, & in omnes
 *oras ferentibus ventis mare permoueant, quantis im- * al. horas.
 bribus repente dei ceteris solum molliant, venaq; fontium
 auentes redintegrent, & infuso per occulta nutrimento,
 renouent. Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perue-
 niente commodo faciunt. Hæc quoq; nostra ratio, si ab
 exemplari suo non aberret, seruet. Non ad res honestas con-
 ducta veniat. Pudeat ullum venale beneficium. Grati-
 tus habemus Deos, si Deos quidem imitatis da & ingratis
 beneficia. Nam & sceleratis Sol oritur & piratis patent
 maria.*

Oriri faciunt Solem super bonos & malos, &c.

Dein præcepit ut proximum diligamus sicut nos
 ipsos: te amas, non utilitatis causa: ergo nec sic noli a-
 mare proximum. Quid? illud etiam Ethnicos natura
 docuit.

[Cicero lib. de amicitia.] *Ita pulcherrima & maxime
 * naturabili carent amica, per se & propter se expetita * In vulg.
 (mercenarij sc. isti amici:) nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc libr. natu-
 ra amicitia qualis & quanta sit: ipse enim se quisq; dili- rali.
 git, non ut aliquam à se ipso mercedem exigat charitatis
 sua, sed quod per se sibi quisq; carus est: quod nisi idem in * In vulg.
 amicitiam transferatur: verus amicus nunquam repe- lib. amicus
 ritur: est enim is, * qui est tanquam alter idem. quidem qui.*

Senec. lib. 4. de benef. c. 17.] *Nemo in amorem suam cohortandus est, quem cum nascitur, trahit. A natura bona integratq; ortum habet Philantia, ut amorem suum sui simplicem dicit, ut vero excessum ad excessum trahentem, à corrupto sensu meo.*

Distinguendum est inter honestam illam matronam, & meretricem; inter amorem amicitiae, & amorem concupiscentiae. Amor enim concupiscentiae munusculis & donis fouetur; & spirat ubi illa cessare incipit (*meretrix tunc sper*) inquit Plautus, *blanditur dum illud quod rapiat videt.*

Plaut. in Menech.

Amor amicitiae gratis incipit, gratis fouetur: nihil nisi virtutem respiciens: alioquin prostituitur. Honestae matronae vestiuntur aliter quam scortae; adeo inde sine aliis iudiciis facile dignoscantur. Haec benignatur venerabilis amicitia speciem aliam, quod scilicet nec inchoata sit, nec nutrita sicut impudicus amor, qualis inter amatores ac meretrices. Et si alius est coniugatorum amor, alius scortantium; cur non amabitur aliter Philosophi, & homines alicuius notae, quam vulgus? Plebecula lucrum caprat, sapiens ac Christianus virtutem & meritum.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg.

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,

Vulgus amicitias utilitate probat.

Illud amicitiae quondam venerabile nomen

Prostat & in quaestu, pro meretrice iacet.

Idem alibi.

Turpiter ingenium munera corpus emant, aut peccus.

Interim amici isti mercenarij, ut nostra sunt secula, abundant panibus, diuites, opulenti, bonaeque fidei: ego autem hic fame pereor. Illi scilicet qui ut Philosophi & Christiani amant, pure amant, fame moriuntur, neque vsque adeo commode sedēt, quamuis Deo iuuante olim abundabunt & ipsi, ieiunabunt alij, sicut famelicus noster Prodigus, tandem à patre receptus conuiuio.

Sed diuinamini, an non mercenarij sint, imo & versarij.

arij, qui mutuam pauperi, quasi magnum præstantes
 amicitia officium, cum intentione recipiendi plus,
 quamuis illud non sint pacti. Dicunt enim celebriores
 quidam Theologi, quod primaria intentio fuerit
 recipere aliquid ultra sortem, aut aliquod donum ita
 ut mutuo daturus non esset sine ea spe, quamuis pactum
 non interueniat, etsi apud homines non censeatur v-
 sura, vsuram tamen esse in foro conscientia, ac indu-
 cendum, qui sic mutuo dederit, ad restitutionem. *Da-*

Extra de V-
sur. c. in Ci-
uitate.

Luca 6.

D. Hieron.
lib. 2 Ep. 14.
ad Nepot. e-
dit. Canisio
na.

mutuum, inquit Dominus, nihil inde sperantes. O
 quantis apud Deum merces (inquit Hieronymus) si v-
 nusquisq; in presenti pretium non speraret. Sed de his a-
 lias. Videte quanti mercenarij. Nonne mirum ex tan-
 to agmine, optimum non esse admodum bonum.

Venio nunc ad eos, qui mercenarij putantur & non
 sunt, illi videlicet de Clero, qui Deo seruiunt in Eccle-
 siis, sperantes ad earum dignitates promoueri. Quod
 autem illi mercenarij non sint, duo olim determina-
 runt Pontifices Gelasius, & Cælestinus.

Gelasius in c. consuluit 74. dist.] *Commoda presby*
tri propensius quam Diaconi consequantur, ut hac sal-
tem ratione constricti, & honorem quem suggerant appete-
ritantur. & quaestum.

V. banus
P. P. in c. Si
officia 59.
dist. Et Ca-
lestinus in c.
Quid prode-
riti. dist. 61.

Imo vero, dum modo hæc intentio principalis non
 sit, sed secundario impellens, ut aiunt, ad charitatem,
 ac motiuum eius.

Mirari stantur de Canonicis & Canonistis, quod
 adeo sint celeres ad distributiones, & accidetaria quæ
 super ipsum præbendæ corpus lucrantur, præsentibus
 solum in tali aut tali officio, vel tali & non alia hora.

Dicunt eos similes porcis, qui quoties campana ad
 sacrum aut vespertas audiunt, statim ad arborem cur-
 runt, ex qua illa pendet; non dubitantes quin motu
 & sonitu decussura sit aliqua poma: collectis pomis,
 non subsistunt diutius quam vsquedum campana &
 pomorum lapsus cesserit, quando enim accepturi sunt
 promptum aliquem, sic panem locis quibusdam ap-
 pellant, accurrunt ilico isti Domini ad signum primu:
 rari tardique veniunt, quando tantum cantandum,

Glossa c. 1. de
Cler. nonre-
fidens. lib. 6.

nihil autem accipiendū est. Dico ex conscientia accū
 celebri glossa peccat qui ad matutinas primario pro-
 pter præsentiā venit, non autem qui principaliter
 Deo seruiat, secundo ut præsentiā accipiat. Nos
 te hæc quæso (venerabiles Domini) ad conscientiam
 vestræ tranquillitatem, ut bene vestras intentiones
 ante omnia dirigatis: maxime in recipiendis præben-
 dis vestris Canonicalibus. Et vos Auditores dilectissi-
 mi, ut non temere seruos ac ancillas Dei iudicetis, nec
 eos verratis in vestram fabulam, ut prohi dolor crebro
 fit: & tandem, pro corollario, curemus rem maximi
 momenti ut finis noster bonus, sanctus, rectus sit, in
 omni opere. Ille enim, quicquid agimus, Diuino pala-
 to facit gratum. Malus autem nauseam excitat, ac
 pulcherrimas etiam virtutes corrumpit: & oremus

nanimiter cum S. Ecclesia, ut mentes nostras

ad cœlestia desideria erigas, oro-

gamus audi nos.

Amen.